

per xv miliaria quedam ciuitas inuenitur nomine uiaen in qua fit multum çuchari & ab ista ciuitate habet magnus can totum çucharum qui in sua curia operatur qui multum ualet. Set noueritis quod in partibus illis priusquam magnus can eis dominatus fuisset gentes ignoraba[n]t tam pulcre & bene cucarum conficere nec condire quemadmodum in partibus babilonis conditur quia ipsum non faciebant congelari & comprehendi in formas set solummodo facientes ipsum bulire expumabant eum & tunc remanebat sicut pasta & niger set gentes de partibus babilonis illas adeuntes partes ipsum conficere instruxerunt Alia vero hic non sunt dicenda/

Noueritis igitur quod ciuitas fugui est capud regni que nominatur choncha que est pars nona prouincie mançi in ista quidem ciuitate multi sunt mercatores & artifices & omnes de ista ciuitate adorant ydolla & sunt sub dominio magni can/ ibi manent homines quam plures pro armis. nam ibi permanent quam plures exercitus magni can quia multe ciuitates & castra quam pluries rebelant quia ut alias dictum est non curant de morte Nam in alio mundo credunt viuere honorate. & etiam quia gentes iste habitant in locis fortibus intra montes & quandocumque ebrientur| & contra eorum rectores conturbentur ipsos 49^o interficiunt/ item ab una parte istius ciuitatis quoddam magnum flumen transit quod est bene largum per unum miliare. & in eo habet ciuitas multas naues que per flumen ipsum nauigant. Jtem supra flumen istud est quida[m] pons ualde pulcer super magnos burchos & dicti burchi cum fortibus anchoris retinentur & super ipsos fixi sunt asseres magni & fortes/ Jtem faciunt zucaram in tanta quantitate quod dici non posset. fiunt etiam ibi mercimonia multa de perulis & alijs lapidibus preciosis. In contrata ista multi inueniuntur leones qui ingenio capiuntur uidelicet quod in locis ydoneis ad hoc fiunt due fouee multum profunde una iuxta(?) aliam. uerum est quod inter utramque relictum est de terra forte per unum brachium ampla. & ab utroque latere fouearum est facta est sepes alta. set a capitibus nichil & in nocte ille cuius erunt fouee ligabit catulum unum supra teram que est in medio & ibi eum relinquens recedet. tunc canis sic lagatus a patrono relictus non cessabit clamare qui canis erit albus. & leo quantu[m]cumque longi[n]cus ab inde audiens uocem canis cum multo furore curet ad ipsum & cum eum uidebit albere uolens festinanter salire ad ipsum capiendum in fouea cadet. in mane ueniet patronus fouearum & leonem mactabit in foueis tunc comendetur carnes quia bone sunt & pelis uendetur. nam sunt multum care & si uolet ipsum uiuum habere. bene cum suis ingenijs extrahet ipsum uiuum. Jtem inueniuntur in contrata illa quedam animalia uocata papiones. qui papiones quasi vulpibus simulantur ipsi quidem corodunt & dampnificant multum canas çucarum producentes & quando mercatores cum carauanis| transeuntes per contratam in 49^o aliquo loco sistunt causa quiescendi & dormiendi de nocte. Jsti papiones ad ipsos

adorant ydola

*isti non curant de morte
nam credunt in alia uita
uiuere honorate*

*modus ad capiendum
leonem*

animalia uocata papiones